



# **Dissertatio juridica inauguralis de apicibus juris bonae fidei non congruentibus**

<https://hdl.handle.net/1874/9748>

6

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
APICIBUS JURISBONÆ FIDEI  
NON CONGRUENTIBUS.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
*Ex Auctoritate* MAGNIFICI RECTORIS  
JOHANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experi-  
mentalis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON  
*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu* &  
*Nobilissimæ* FACULTATIS JURIDICÆ *decreto*,  
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE, Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini Submittit*

DOMINICUS VAN HOYTEMA.  
CULENBURGENSIS, CIVIS BŒMELIENSIS.

---

*Die 12 Maji MDCCCLXXII. H. L. Q. S.*


---

TRAJECTI AD RHENUM,  
*Ex officina* ABRAHAMI VAN PADDENBURG,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXII.

R E G I A E  
B O R U S S O R U M  
P R I N C I P I  
F R I D E R I C Æ  
S O P H I Æ W I L H E L -  
M I N A E,  
A U G U S T A E C O N J U G I  
S E R E N I S S I M I  
G U I L I E L M I V.  
A R A U S I O N I S E T  
N A S S A V I A E  
P R I N C I P I S  
S E P T E M F O E D E R A T A R U M B E L G I I  
C I V I T A T I U M G U B E R N A T O R I S  
H E R E D I T A R I I E T C. E T C. E T C.  
P R I N C I P I O P T I M A E B E N E V O L E N T I S S I M A E  
P A T R I A E N O S T R A E D E L I C I I S

*Hanc dissertationem  
summa animi  
devotione.*

S A C R A T.  
D O M I N I C U S V A N H O Y T E M A




DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS.

D E

APICIBUS JURIS BONAE FI-  
DEI NON CONGRUENTIBUS.



§. I.


*Pex* notat cujusque rei eminentiam. Etymologia, Orig. go & De. finitiones vocum in Rubrica occur- rentium.  
 Hanc vocem in bonam partem sumsit.  
**CICERO:** quum ait: „ Auctorita-  
 „ tem, quam aetas conferre solet esse senectutis apicem. Vid. *ERNESTI Clavis Cice-*

A

rotis

2 DISSERTATIO JURIDICA

*nis in voce Apex.* Caeterum *Apex* montis sumitur pro summitate, *Apex* volucris pro crista, *Apex* falcis pro mucrone.

ULPIANUS in *L. 29. §. 4. ff. mandati vel contra*, inquit, bonae fidei non congruere de *Apicibus juris* disputare; ubi *Apices Juris*, ut opinor, appellantur subtilitates, quae in summo jure & stricta legum ratione consistunt. *Apices Juris* vocantur etiam jus summum, vid. CICERO in *Orat. pro Caecina Cap. 23.* subtilitates verborum, *L. 20. ff. de Reb. Cred.* stricta Juris ratio *L. 43. ff. de Relig. & sumt. funer.* severitas legum *L. 11. ff. de Poenis.* RADULPHUS FORNERIUS *Rerum quotid. Cap. 19.* (quod opus exstat in OTTONIS THESAURO *Juris Civilis Tom. 2. p. 244.*) dixit: „ Disputare de Juris apicibus, non est, ut „ vulgo creditur, de rebus arduis, acutis ac sub- „ tilibus, sed de levibus potius minimique ponde- „ ris”. Male, ut existimo, rejecit definitionem, dum ipse eodem loco eandem, verum aliis verbis proponit. Et profecto quid aliud est disputare de rebus arduis ac subtilibus? quam de hisce rebus, quas bona fides (intelligo hic per bonam fidem, aequitatem) contemnendas suadet, quasque pro-

bum

bum virum ac bonum civem decet praeterire, & quae non curantur, ut FORNERIUS ait nisi ab hominibus contentiosis ac pervicacibus; unde tritum illud proverbium: *Summum Jus, summa injuria*; quod a TERENTIO *Heautontim: Act. 4. scen. 5. vers. 48. summa malitia* vocatur.

2.

*Fidei* Romanae elogia passim occurrunt. *Manus* <sup>Qualis sit</sup> erat *fidei* sacra. Usitata *manusdatio* in fidejussioni- <sup>& esse</sup> bus, & praecipue in Mandato, quod ex illo more <sup>debeat bo-</sup> nomen accepit. CICERO *Officiorum Lib. 1. Cap. 7.* <sup>Item de</sup> *Fides est dictorum conventorumque constantia &* <sup>Judiciis</sup> *veritas.* add. *L. 1. pr. ff. de Pactis.* <sup>bonae fi-</sup> *Bona fides* <sup>dei, &</sup> *hic dolo non opponitur, ut in L. 4. C. de Obli-* <sup>stricti</sup> *gat. & Action. L. 3. § ult. ff. pro socio. L. 25.* <sup>Juris, a-</sup> *ff. de Reg. Jur.,* sed adstrictae *Judicis* potestati, <sup>pud Ro-</sup> qui in strictis *Judiciis,* conventioni partium alligatus est. *L. 99. ff. de Verb. Obligat:* scilicet in *Jure Romano,* quaedam actiones bonae fidei, quaedam stricti *Juris* dicebantur, § 28. *Inst. de Actionibus.* In illis, *judici* libera potestas erat aestiman-

#### 4 DISSERTATIO JURIDICA

di inter litigatores, quid alterum alteri ex bona fide praestare oporteret, *L. 2. § 3. L. 5. ff. de Obligat. & Action.* In his autem potestas judicis formulae adstringebatur, seu iis rebus, in quas praetor jubebat condemnationem fieri, Vid. VINNIUS *ad Institutiones de Action.* §. 28. Constat vero praetorem in bonae fidei Judiciis cum Judicem dabat, expresse formulae hanc vel similem clausulam, inferuisse; si appareat eum, cum quo agitur, dare oportere, judex ex bono & aequo eum condemna. In Judiciis vero stricti Juris praetor aliam dabat formulam, nempe hanc vel similem: Si appareat Maevium sempronio centum ex stipulatu debere, tunc Maevius damnetur.

Quia Judex in bonae fidei judiciis omnia libere ex aequo & bono aestimabat, in strictis formulam praecise sequi tenebatur, natae sunt multae & insignes horum judiciorum differentiae, quae certo Jure nunc comprehensae sunt, & Ictorum disputationibus notatae. Actionum harum differentia inde petita videtur, quod omnes actiones ex contractibus nudi consensus, & quae ex utroque latere obligationem pariunt, bonae fidei dicerentur. Vid. *L. 2. ff. de Obligat. & Action:* & JANUS A  
COS-

COSTA *de Action.* § 28. quod fecus erat in stri-  
cti Juris actionibus. Plura hac de re videri pos-  
sunt apud VINNIUM & J. A COSTA loc.  
laud.

3.

ULPIANUS in L. 10. §. 3. ff. *mandat.* vel <sup>Bonam fidem ab aequitate inseparabilem esse.</sup> *contra dicit: bonae fidei hoc congruit, ne de alieno lu-  
crum sentiat.* Per bonam fidem hic intelligit *bonum  
& aequum*, teste POMPONIO in L. 6. §. ult. *de se.  
jure dotium*: vel id quod natura aequum est. L.  
14. ff. *de Cond. indeb.* nam quod *aequum* est id  
quoque *bonum* esse constat. L. 7. §. 1. ff. *de in  
Integr. restitut.* In L. 31. ff. *Depos.* vel *contra  
dicitur: bona fides, quae in contractibus exigitur,  
summam aequitatem desiderat.* *Aequitas* est alinae  
voluntatis, legis, testamenti, contractus commo-  
da expositio & declaratio; plenius vero describitur,  
ut habitus practicus verum dubiae legis sensum ex  
verbis & ratione accurate eruendi. HUGO GRO-  
TIUS in Libro singulari *de Aequitate, Indulgentia  
& Facilitate* aliam definitionem aequitatis & aequi



6 DISSERTATIO JURIDICA

dedit; ait enim, *aequitas est virtus voluntatis, correctrix ejus, in quo lex propter universalitatem deficit: aequum, id ipsum quo lex corrigitur.*

Aequitas debet adesse omnibus humanis actionibus, & in Jure Romano tanquam fundamentum & *lex* omnis juris 'ac Justitiae ponitur, qua propter **ULPIANUS** in *L. 1. princ. de Justit. & Jure* ipse dicit, *Jus est ars boni & aequi.* „ Bonum „ est id, quod utile est & conveniens societati vel „ humanae vel civili: *Aequum* vero est benignior „ interpretatio & suppletio eorum, quae scripto „ non sunt comprehensa. Vid. **OTTO** in *Praefatione ad Tom. 2. Thes. Juris Civilis. pag. 23.*

4.

*Quodnam sit Judicis Icti, & boni Viri, officium?* Mens legislatoris, *Genius & causa legis* (uti **librum suum inscripsit acutiss: MONTESQUIEU**) eruitur ex apta verborum & rationis convenientia, ut ex verbis angustioribus propter ampliorem sensum ad plures casus porrigatur in favorabilibus, vel in odiosis ac novis verba forte ampliora ad certos tantum casus ob angustam rationem restringantur.

Sin

Sin autem duo vel plura concurrant sibi invicem contraria, ut simul observari non possint, inquit aequitas in utilitatis vel naturalis vel civilis rationem; quodque officium est majus, quodque publice utilius est, praefert. In omnibus cavet a cavillatione: & justis decretis rem quamque temperat. *L. 65. & 85. §. 2. de Reg. Jur.*

Quemadmodum iudices in legum administratione, aequitatem maxime & veritatem, posthabitis verborum subtilitatibus, sibi ob oculos ponere debent, sic Ictos sensum maxime legis sectari oportet; in legum interpretationibus semper in benigniorem partem propendere debent, aequitate suadente *L. 25. ff. de Legibus* unde, teste PAULO in *L. 91. §. 3. de verb. Obligation.* sub auctoritate Juris scientiae perniciose erratur, si id quod scriptum est, non vero id quod bonum & aequum est, attendatur. Hinc ANTON. PEREZIUS in *Jure Publico pag. 71.* dicit: *scriptum sequi calumniatoris est: boni Judicis, voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.*

Qui consulta Patrum, qui leges juraque servat, *vir bonus* HORATIO dicitur. Attamen dantur revera multa facta, quae ab hominibus patrari possunt,

sunt, etsi non honesta, quae tamen legibus minime puniuntur, unde SENECA *L. 2. de Ira Cap. 27.* *Quam angusta est innocentia ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet quam Furis regula? quam multa pietas, humanitas, Justitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? & PAPIANUS, cui solemne est ex ipsis naturae fontibus jus civile deducere L. 15. ff. de Condition. Institut: Quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt: nec facere nos posse credendum est. Locum Clariss. JACOBI VOORDA in Oratione de ICTo Viro bono hic afferre lubet, ubi pag. 6. Sic progreditur, si ab eo, qui habendus & vocandus est vir bonus nihil exigatur aliud, quam ut servet decreta Patrum, leges juraque: non poterimus in bonis non numerare, qui honesti, eorumque, quae fieri oporteat aut non fieri, nulla ratione habita, ex jure tantum publico consueverunt existimare, quid faciendum sibi quid fugiendum sit.*

5.

Sunt qui conscientiam Judicis duplicem ponunt, <sup>Quae-  
dam Ju-  
dicis con-  
scientiam  
spectan-  
tia.</sup> scilicet Judicis, qua talis, & qua privati; hi con-  
tendunt conscientiam Judicis, qua talis, respicere  
leges, ex quarum tenore statuere potest ac debet,  
etiam quae conscientiae, qua privati, non proban-  
tur; mira sane opinio & a bonis Judicibus valde  
aliena! scio quidem post ACCURSIUM multis pla-  
cuisset sententiam: Judicem secundum acta & proba-  
ta, non autem secundum conscientiam judicare de-  
bere; id vero manifesto pugnat cum judicis officio,  
nam Judex quidem ex actis & probatis sententiam  
ferre debet, tenetur tamen, in omnibus, ex aequo  
& bono mentem legis explicare *L. 5. C. de Legi-  
bus*, praeterea nemini licet contra conscientiam  
quidquam tentare. Recte itaque BURLAMA-  
QUI, in *Element. Jur. Nat. Cap. 9. §. 10.*  
*Conscientiae semper obsequendum esse, vel etiam er-  
ranti, atque sive superabilis error sive inexsuper-  
abilis sit.*

Sires superveniat dubia & anceps, ut judex nullo

B

modo

modo possit, propter circumstantias sibi soli notas, sententiam ferre salvâ conscientîâ, hoc casu officium Judicis deponere & testis personam induere debet. Insuper actus humani, quorum causa leges promulgatae sunt, diversas induunt formas; quapropter nullae leges ita extensae five cuique actui humano ita aptatae esse possunt, ut nullo casu deficiant. *L. 12. ff. de Legibus.*

Aequitas vero manet & debet omnibus in causis, basis instar ac ducis adesse judici: haec nunquam deficit. Quare recte PAULUS in *L. 2. §. 5. ff. de Aqua & aq. pl. arcend:* *Haec aequitas suggerit, etsi jure deficiamus:* & in *L. 90. ff. de Reg. Jur. in omnibus quidem, maxime tamen in Jure, aequitas spectanda est.*

## 6.

*Officium  
Judicis  
late pro-  
positum.*

Officium Judicis est duplex, intelligere & interpretari leges, ac porro eas ad facta obvenientia applicare; neutro autem officio fungi potest, qui bonae interpretationis regulas non callet, atque eo demum modo solidam Juris notitiam ex interioribus legum ratio-

rationibus deductam, acquirit, felicius ac melius, quam vulgari methodo casuificâ, utpote memoriae tantum obruendae, non perpoliando Judicio comparata. Non obstat quod in *L. 1. C. de Legibus* interpretatio solis principibus videatur relicta, quasi iudicibus non liceret ex bono & aequo mentem legis explicare. Sed melius ac plenius videmus in *L. 5. C. de Legibus* & *L. 11. ff. de Poenis* id hoc cum temperamento intelligendum esse; ut si verba legis aequam interpretationem respuant, ad eundem fit Princeps. Vid. *L. 26. §. fin.* & *L. 27. ff. de Fideicomm. libertat.* & BRUNNEMAN *Comment. in Cod. Tit. de Fideicomm. libertat.* qui ipse, ut dicit H. GROTIUS in *Tract. de Aequitate* &c. est *mentis suae verique Juris interpres.*

Casum in *L. 3. ff. de Excusat. tutorum* &c. ab ULPIANO propositum hoc loco explicandum putavi, in quo vel maxime usu veniet, aequitatem, qua res quaeque temperanda est. (ut est in *L. 85. §. 3. ff. de Reg. Jur.*) stricto Juri antepone. Ibi dicitur: tria onera tutelarum dant excusationem a caeteris; sed finge, non tres quidem numero tutelas, sed unicam tantum, verum diffusam admodum & operosam tutelam a Sempronio geri, & e-

jus obtentu, illum excufationem a nova defiderare; fane defiderii illius aequitas exemplo meridianâ luce clarior patebit. Pone tutelam ita operofam esse, ut Sempronius vix propriis fuis negotiis superesse poffit; nonne *aequitas* virtus illa voluntatis, correctrix legis propter universalitatem, uti GROTIUS in *Tract. de Aequit.* illam definivit, nonne aequalitas, nonne & ipsa Iustitia illum immunem a caeteris dicunt? cum è contrario Judicibus, si Iuri stare, hoc est si expressis verbis legis, mente legislatoris sepositâ, acquiescere vellent, haec sententia pronuncianda esset: quia Sempronius una solummodo gravatus est tutela, reliquas duas adventitias, ut dicit *Lex. alleg.* accipere & gerere debet. Lex dura, sed ita scripta; quia non magnitudo patrimonii aut oneris gravitas, sed numerus tutelarum spectandus hic videatur. Putarem Iudices, si sic Judicarent, Judicatos in fraudem legis: nam falvis verbis legis, sententiam ejus circumvenirent. Quare PAULUS in *L. 31. §. ult. ff. de Excusat.* optime putavit: *recte facturum praetorem, si etiam unam tutelam sufficere crediderit, si nempe tam diffusa & negotiosa sit, ut pro pluribus cedat.* Et aequitatis plena est haec PAULI sententia, & ab omnibus ex aequo & bono

bono judicantibus maxime laudanda. Nonne & ipse legislator in ferendis ac promulgandis legibus semper utilitatem publicam, tanquam finem civitatis, sibi ob oculos posuit? nonne voluit onera & commoda aequaliter distribui inter pares? revera nihil aliud putavit. Hinc recte concludere valemus, mentem legislatoris in allato casu fuisse, illum, qui onere tutelae valde onerosae gravatus erat, non nova onerari posse tutela, donec finita esset: quamquam verba legis expresse dicebant, tria tutelarum onera a caeteris excusationem dare.

In *L. 29. §. 4. ff. Mand. vel contra* dicitur: *Quaedam tamen, etsi sciens omittat fidejussor, caret fraude: ut puta si exceptionem Procuratoriam omisit, sive sciens sive ignarus: hic per exceptionem Procuratoriam intelligimus eam, quâ dicitur te non posse esse procuratorem, non vero illam, an sis procurator? an habeas mandatum? nam haec non est de apicibus Juris sed summe necessaria. Ut testatur BRUNNEMAN ad ff. hoc tit. Quidam PETRUS LORIOTTUS, qui sub titulo de Apicibus Juris quasdam quaestiones de Jure scripsit, titulo Mandati quaedam de hac exceptione procuratoria subjungit, ajens: In Apicibus*



*juris versari non dicitur, sicut illa Procuratoria exceptio, quae ratione status personae objicitur, de qua lex contraria intelligenda est.* Et revera qui exceptionem Procuratoriam opponere vellet, verbi gratia, quia postea forte patebat procuratorem fuisse militem, qui procurator esse non posset, argumento *L. 8. §. 2. de Procurat. & Defens.* & tamen procuratoris officio functus erat, & speciale mandatum domini habebat, hic qui exceptionem Procuratoriam, vel exceptionem de inficiandis rebus per procuratorem legibus vetitum gestis, objicere vellet, Jure tanquam pervicax & contentiosus posset repelli, & haberet, quod sibi imputaret, si a Judicibus ex bono & aequo Judicantibus poenâ temere litigantium castigaretur.

7.

*De Aequalitate, praecipuo in statu Nat. Officiorum fundamento.*

Si hominibus praecipuum fundamentum officiorum in statu naturali (*aequalitatem* puto) paulo amplius cordi esset, crederem & ex hac aequitatem redunduram: est quippe mutua obligatio ad colendam societatem. Nonne ex eo, quod natura omnibus eundem

eundem in hanc vitam ingressum concessit? nonne ex eadem structurâ nostri corporis? nonne ex eodem omnium mortalium scopo, qui ad felicitatem tendit? Nonne ex socialitate illustratur aequalitas? Illa aequalitas meridiana luce clarius, ex allatis deducitur principiis, tanquam ex totidem fontibus. Illi aequalitati, tanquam basi, superstruere debemus, eique accommodare actiones nostras morales. Illa suadet aequalem bonorum inter cives divisionem iusto cum moderamine instituendam. Illa strictam Juris rationem observare, verborumque subtilitates curare, disuadet. Illa *Φιλανθρωπίας* plena homines ab omni parte beatos redderet, si semper animis observaretur. Loquor autem de Aequalitate naturaliter sumtâ: civiliter vero sumta aequalitas etiam maxime necessaria est, quatenus pro statu ac conditione cujusque civitatis ac civium observari potest. Unde aliter convenientiam aut disconvenientiam actionum humanarum cum lege dijudicamus, quam ex aequalitate aut inaequalitate illius cum mente legis interna? H. GROTIUS *Lib. 1. de Jure Belli & Pacis Cap. 1. §. 3. num. 2.* dicit: „ quasdam „ societates esse inaequales, ut inter patrem & li- „ beros, dominum & servum, regem & subditos, „ Deum

„ Deum & homines”. Et recte; nam potest esse societas inaequalis, respectu nempe officiorum, at respectu Justitiae vel boni & aequi, aequalis esse debet. Unde rectissime hoc loco in §. 3. ab eodem summo Viro dicitur: *res saepe sunt inaequales, lex vero una semper atque eadem.* Inde necessario consequitur, alia virtute opus esse, quae inaequalibus rebus suam cuique aequalitatem praestet; nam omnibus qui ejusdem sunt civitatis eadem non licent; Ita majori in minorem licent quaedam, quae minori in majorem aut in parem non licent. Sic CYRUS dicebat *fecisse se ut regem*, teste JUSTINO *Lib. 1. Histor. Cap. 5.* Indicans eadem minime fecisse ut membrum civitatis, qua tale. Unde aliter delicta legibus vetita punirentur? Unde beneficia praemiis remunerarentur? quam ex illa aequalitate, ex qua actiones morales dijudicantur. Recte hac de re monuit Baro DE BIELFELD *Instit. Politic. Tom. 1. Cap. 7. §. 6.* *Il doit y avoir une juste proportion entre les délits & les châtimens; c'est une regle sans exception; mais dans l'évaluation de cette proportion, la naissance, le rang des citoyens & plusieurs autres circonstances doivent être comptés & mis en balance.* Justa proportio (vel aequalitas)

in

intercedere debet inter delicta & poenas: nullam haec regula patitur exceptionem: in aestimanda vero hac proportione, genus, ordo civium, dignitas & plures aliae circumstantiae debent computari & ponderari. Apud H. GROTIUM *de Jure Belli & Pacis Lib. 1. Cap. 1. § 8. num. 2.* haec aequalitas ratione personarum vocatur *Proportio Geometrica*: ibique in notis narratur dictum CASSIODORI: *In proportione non est similitudo rerum, sed quaedam habitudinis comparatio.* Et apud HOMERUM *Iliad. 14. Vers. 382.* legimus ἐσθλὰ μὲν ἐσθλὸν ἔδωκε, χείρεια δὲ χείρονι δόσκειν. praestanti dabit praestantia, vilia vili; quae aequalitas ARISTOTELI *Distributiva* vocatur, quia merita personarum comparantur rebus, ita ut, quae dantur uni, comparari possint ad illa quae alteri dantur, quemadmodum hujus merita ad illius.

Vidimus & inter inaequales, respectu status personarum, posse & debere constare aequalitatem, quam naturaliter, ut fundamentum officiorum posui, & sine qua societates pessumdarentur, quam necessariam esse ex eadem structurâ nostri corporis, & scopo omnibus mortalibus proprio, ad felicitatem nempe tendente, monstravi; Illa ipsa aequali-

tas fundamentum est harmoniae & ordinis in civitatibus. Propter illam leges promulgatas observare fas est. Nam qui solummodo ex metu poenarum vel spe mercedis, leges observat, homo est servilis & avarae mentis. Recte profecto *quidam Scriptor* in libro, cui titulus *Tbéorie des sentimens agréables* Cap. 8. *Qu'obéir uniquement par la crainte de l'autorité, ou par l'espérance d'une récompense, sans estimer ni aimer la vertu à cause de son excellence propre, cela est bas & mercénaire. Pratiquer au contraire la vertu, uniquement par une vue abstraite de sa convenance & de sa beauté naturelle, sans penser en aucune maniere au Créateur & conducteur de l'univers; c'est manquer à ce que l'on doit au premier & au plus grand des êtres. Celui-là seul qui agit conjointement par les principes de la raison, par les motifs de la piété, par la vue de son plus grand intérêt, est en même tems bonnête-homme, sage & pieux; ce qui forme sans comparaison le caractère le plus digne & le plus parfait. Qui non aliam ob causam obsequium praestat, nisi vel quia formidat imperium, vel sperat mercedem; nec virtutem colit diligitque propter ipsam virtutis praestantiam; hujus servilis & avara mens est. Qui contra virtutem unice se-*  
cta-

ctatur ob ejus convenientiam nativamque pulchritudinem, nullâ habitâ ratione Dei, univerfarum rerum conditoris rectorisque, hic officium violat ei naturae praestandum, quae omnium prima & perfectissima est. Qui autem rationem, pietatem, summamque suam utilitatem conjunctas sequitur, is solus simul & probus & sapiens & pius est: qua quis indole praeditus perfectionem adeptus est homine dignissimam.

Neceffe fuit *Aequalitatem*, tamquam ab aequo & bono inseparabilem, proponere. Ex illa vidimus quid officium Judicis, quid Icti, quid privati, desiderat. Nonnullas adhuc regulas ab H. GRO-TIO *de Jure Belli & Pacis L. 2. Cap. 16. § 12.* traditas subjungemus, quas qui observarit, quantum pro re nata fieri potest, boni Judicis, & prudentissimi Icti, nomen Jure merebitur. „ In non  
 „ odiosis sumenda verba secundum totam proprie-  
 „ tatem usus popularis; & si plures, eam quae la-  
 „ tissima est. In favorabilibus verba laxius su-  
 „ menda, ut etiam includant significationem artis,  
 „ aut quam lex dedit. In odiosis vero, etiam fer-  
 „ mo figuratus aliquantulum admittitur, quo onus  
 „ vitetur”.

Omnes ergo aequitate uti oportet semper & in omnibus casibus. Nullam haec regula patitur exceptionem: Summos Imperantes in ferendis ac promulgandis legibus, Judices in ferendis sententiis, Juris consultos quum pro tribunali justas causas defendunt, quin imo privatos in vita communi, aequitate uti decet; nam aequitas in omni genere legum, & in omni materia virtutum, locum habet. *Aequitatem non dico utique bene judicandi, sed se cum caeteris coaequandi, quam Cicero aequalitatem vocat. Deus enim, qui homines generat & inspirat, omnes aequos, id est pares esse voluit. Vid. LAC-TANTIUS Divinar. Instit. L. 5. C. 15. Valeat aequitas, quae, paribus in causis paria jura desiderat. CICERO Topic. Cap. 4.*

## 8.

*Monitum ex antecedentibus illustratum, & exemplis firmatum.* Nonne igitur manifesto patet, illam strictam Juris rationem (ut sunt *Juris Apices*) cedere debere bonae fidei, nempe aequitati? Optime revera ad hanc quaestionem respondere poterimus dicto SALOMONIS sapientissimi illius Israëlitarum regis  
Ec-

*Eccles. Cap. 7. Comm. 16. Ne esto nimium Jus-  
tus. Ubi mens regis, uti & Commentatores puta-  
runt, fuit: ne esto nimium severus in verbis & fa-  
ctis proximi tui perscrutandis: & ex rigore Juris  
illum non punito. Elegantem locum e vita Servii  
Sulpicii apud CICERONEM Philipp. 9. Cap.  
5. hic afferre ab hac materia non alienum putavi  
Post memorata quaedam laude digna de illius prae-  
clari viri vita, sic progreditur: *Nec vero flebitur  
admirabilis quaedam, & incredibilis, & pene divi-  
na, ejus in legibus interpretandis, aequitate explican-  
da scientia. Omnes, ex omni aetate, qui hac in ci-  
vitate intelligentiam Juris habuerunt, si unum in lo-  
cum conferantur cum Servio Sulpicio non sunt compa-  
randi. Neque ille magis Juris Consultus quam Ju-  
stitiae fuit. Itaque, quae proficiscerentur a legibus &  
a Jure Civili, semper ad facilitatem, aequitatem  
que referebat: neque constituere litium actiones male-  
lebat, quam controversias tollere.**

Utinam plures hodie reperirentur tales Servii  
Sulpicii; qui tam Justitiae quam Juris Consulti es-  
sent! & multi, qui saepius sub praetextu illius ni-  
miae Justitiae, & conscientiae, a Juris rigore de-  
flectere nolunt, exemplo Servii Sulpicii deterrentur



tur sua ab improbitate, nam exsuperantia Justiti-  
ae aliquando crimen est. Vid CICERO *Lib. 5.*  
*Tuscul. Quaest.*

9.

Quaedam  
de ele-  
ctione  
Ministro-  
rum ac  
Judi-  
cum.

Non abs ré videtur, quaedam de electione Mi-  
nistrorum ac Judicum hic subungere, nam cives  
Jus dirimendi lites, sui que tutelam Imperantibus de-  
tulerunt. MARTIALIS *Lib. 8. Ep. 15. Prin-*  
*cipis est virtus maxima nosse suos.* Dictum bene Im-  
peraturis semper inculcandum! nam Principes ne-  
cessario falli debent, nisi optime suos norint mi-  
nistros. Vid. M. MELON *Esfai sur le Commerce.*  
*Cap. 16. Le Legislatteur sera necessairement la du-*  
*pe, s'il n'examine scrupuleusement les sujets essentiels,*  
*dont il se fert.*

*Summi Imperantes tenentur ad munia civitatis ad-*  
*bibere viros probos & idoneos, & in eorum acta sub-*  
*inde inquirere, eos denique, prout rem gessisse depre-*  
*benduntur, praemiis vel poenis mactare.* Vid. PUF-  
ENDORF *de Offic. Hom. & Civ. Lib. 2.*  
*Cap. 11. §. 9.* Summorum Imperantium est in  
ini-

iniquos Judices, tanquam fautores scelerum, queis securitas civium abrumpitur, severe animadvertere. Inter iniquos, & removendos Judices ac ministros pessimi sunt, qui variis sub virtutis coloribus, primâ facie hominum benevolentiam allicientes, mentem circumferunt vilissimis ac detestandis affectibus depravatam. vid. Baro DE BIELFELD *Instit. Politic. Tom. 2. Cap. 2. §. 15.*

Infelices revera Principes, qui seducti saepius horum consiliis uti coguntur!

Quamquam acutissimi magnum laborem impendunt tales iniquitatis convincendi; non raro tamen frustra hoc opus suscipiunt, quia simulandi & dissimulandi artifices callidissimi vafre adeo sua vitia virtutis colore inaurare norunt, ut hominum benevolentiam, & interdum ipsius Imperantis, per nefanda talia artificia sibi concilient. Pestes sunt civitatis & novissima exempla merentur.

E contrario non puniendum consilium non fraudulentum, quod eventus destituit, quum hunc nemo praestet. Vid. HEINECCIUS *Element. Jur. Nat. & Gent. §. 181.* nam consilii non fraudulentum nulla est obligatio. vid. ULPIANUS in *L. 47. ff de Reg. Jur.* Ampliff. Praeses VAN BYNKERS-

KERSHOEK *Quaest. Jur. pub. Lib. 2. Cap. 2. Si quis bona fide de Republica consulat, non modo ei impune est, quando res secius cadit, sed & omne damnum, quod ex consilio suo patitur, ei a Republica resarciendum est. & plura loc. laud.*

7.

*Quid ex supra dictis colligi possit.* Posuimus *aequitatem* tanquam fundamentum & *ἀρχήν* omnis Juris ac Justitiae, *bonum* tanquam speciem aequitatis & ab eâ inseparabilem. *Aequitatem* deduximus ex *aequalitate*, quae est praecipuum fundamentum officiorum in statu naturali, harmoniae & boni ordinis in civitatibus origo. His tanquam basi superstruximus & monstravimus *aequitatem* sive *bonam fidem* in omni casu praevalere debere *strictae Juris rationi*, sive *Apicibus Juris*, quod auctoritate gravissimorum quorundam virorum probavimus.

Optandum esset aequitatem hominibus magis cordi esse! Plurimi, illam semper in ore habent, pauci vero eam norunt. Et quid illos aequitatem nosse juvat? Ex horum enim numero paucissimis illam sequi

qui placet; multique facile contemplatione aequitatis theoretice institutâ contenti, ipsam aequitatem, seu ejus praescripta, negligunt!

## II.

Maxima quidem pars hominum, si de incommodis alterius agitur, ex stricta Juris ratione Judicare solent, quia non audent, (uti saltem praetendunt) propter suam conscientiam, (quae est Judicium hominis de semet ipso,) de mente legis, quam strictè explicandam putant, decedere; quo in casu, quamquam aequitas, salvâ legis mente, aliud quid suggereret, strictam Juris interpretationem sequuntur. E contrario si de suis incommodis agitur, aequitatem, tanquam inseparabilem a legum interpretatione (uti quidem revera res se habet) dicunt: & calumniatoris esse, verba & litteras sequi, adseuerant.

*Diversa  
hominum  
aequitas  
explicatio.*

Quam bene consuleretur rebus humanis, si quisque semper curaret praeceptum, quod tradidit Salvator noster! *omnia quaecunque vultis ut faciant vobis homines; & vos facite illis.* MATH. Cap. 7.

D

Comm.

26 DISSERTATIO JURIDICA

*Comm. 12. LUC. Cap. 6: Comm. 31. Quod praeceptum Imperatori Alexandro Severo, qui teste LAMPRIDIO in Alexandr. Sever. num. 51. „il-  
„ lud a quibusdam sive Judaeis sive Christianis au-  
„ dierat, adeo placuit, ut per praeconem, cum a-  
„ liquem emendaret, dici Juberet”: Quod tibi fieri  
non vis, alteri ne feceris.*

T A N T U M.



THE-

T H E S E S.

I.

*Absque Juris Naturalis exercitio salus publica suo loco consistere nequit.*

I I.

*Jus belli moderamine inculpatæ tutelæ subnixum est.*

I I I.

*Idem sentio de Jure poenarum.*

I V.

*Dominio naturâ non inest Jus res perdendi aut destruendi quæ aliis utilitatem præstare possunt.*

V.

*Nudâ voluntate testatoris non tollitur testamentum.*

V I.

*Bonæ fidei possessor non tenetur ad restitutionem fructuum consumptorum, licet ex iis factus sit locupletior.*

D 2